4

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

QUAEDAM DE

ENTERITIDE

COMPLECTENS:

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES B. MATTHEWS,

ANGLUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

AMICO SUO CARISSIMO

JOANNI LEGH, ARMIGERO,

HOCCE OPUSCULUM,

EXIGUUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM

PROPTER CURAM

QUA IN SE TUTORIS MUNERIBUS PERPETUO FUNCTUS EST,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

CONSECRAT

JOANNES B. MATTHEWS.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE JOANNE H. MATTHEWS.

Cunctæ inflammationes, quibus corpus humanum vexatur, medicorum attentionem summo jure merentur, propterea quod in his naturæ vires nihil omnino, medendi ars plurimum ad sanitatem reducendam confert. Intestinorum vero inflammatio, sive Enteritis, de qua, in hoc tentamine, pauca scripturus sum, ob quasdam præterea sibi propria digna est quæ attentè consideretur. Nunquam enim periculo vacat, et facilè confundi potest cum aliis pluribus malis quæ vix in discrimine vitam ponunt; et haud raro multo celerius, quam pleræque aliæ inflammationes, ægrotantes interimit.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE JOANNE B. MATTHEWS.

Cunctæ inflammationes, quibus corpus humanum vexatur, medicorum attentionem summo jure merentur, propterea quod in his naturæ vires nihil omnino, medendi ars plurimum ad sanitatem reducendam confert. Intestinorum vero inflammatio, sive Enteritis, de quâ, in hoc tentamine, pauca scripturus sum, ob quædam præterea sibi propria digna est quæ attentè consideretur. Nunquam enim periculo vacat, et facile confundi potest cum aliis pluribus malis quæ vix in discrimine vitam ponunt; et haud raro multo celerius, quam pleræque aliæ inflammationes, ægrotantes interimit.

Hujus morbi duæ species a Nosologis recensentur, Enteritis nempe Phlegmonodæa et Enteritis Erythematica; de quarum priori tantummodo, utpote justâ hujus mali formâ, in animo est hic disserere.

Indicia, quæ præcipue Enteritidem testantur, sunt febris, dolor abdominis, vomitus atque alvus astricta.* Arteriarum pulsus frequentes, tenues, et duri sunt; raro, si unquam, pleni sunt; eorum frequentia haud insignis est; vix enim in plerisque ultra centum parte horæ sexagesimâ, numerantur. Calor corporis non admodum augetur. Nausea et vomitus fere semper urgent, et exempla tradita sunt, in quibus materia stercorea per os reddita est. Alvus plerumque pertinaciter astricta est; diarrhœa vero non pro signo Erythematicæ tantum speciei habenda; aliquando enim in vehementissimâ intestinorum inflammatione dejectiones tenues excernuntur.† Sitis vehe-

---

* Vide Culleni Nosol. ad Enterit.

† Wilson Philip. de Feb. Symp. ad p. 235.

mens torquet, et urina rubra redditur; vires corporis plurimum infirmantur. Dolore acuto urente homo vexatur; interdum in unicâ tantum parte, interdum per magnam abdominis partem diffuso, ad umbilicum plerumque magis infestat, dolor non intermittitur, etsi per intervalla magis sævit; et, affectâ parte pressâ, plurimum intenditur. Abdomen in plerisque exemplis tumescit, et dolores spasmodici generis aliquando simul exoriuntur et cruciatus ægri plurimum augent. Anxietas sæpe ingens vexat.

Enteritis sæpius vere et autumno incidit et præ ceteris provectiores ætate invadit. Aliquando cum aliis morbis conjuncta conspicitur; nonnunquam typho et aliis quibusdam febribus supervenit. Inflammatio nunc hanc, nunc illam intestinorum partem occupat, sed multo sæpius intestina tenuiora; his inflammatis, dolor præcipue circa umbilicum sentitur. Haud raro in hypochondrio dextro urget, ex quo judicandum est partem coli superiorem laborare, dolor in ima abdominis parte

cum tenesmo rectum intestinum inflammari testatur. Hic morbus resolutione, suppuratione, ulceratione, aut gangræna, terminari potest, de signis, quibus uniuscujusque accessio indicatur, postea dicendum, ubi ad Prognosin ventum erit.

Hoc ordine autem utar in reliquis proponendis, quæ de hoc morbo memoratu digna sunt. Principio de causis quae excitant breviter disseram, dein de indiciorum ratione, de diagnosi, de prognosi, de mortuorum sectione; et tandem de curatione quaedam subjiciam.

DE CAUSIS.

Ex causis quae Enteritidem excitant, plures ei communes cum Gastritide sunt. Frigus subito admotum sive potu copioso frigidae aquae, dum corpus calet, sive partibus externis abdominis frigefactis; frigus quoque pedibus applicatum saepe, acria ingesta rarius hunc morbum concitant. Validiora purgantia quae alvum non moverunt inter acria, quae Enteritidem crearunt, recensenda sunt. Liquoris ex alcohole confecti cibique acres, duri, nec concoctu faciles saepenumero eandem afferunt. Stercus praeterea in intestinis collectum, Scybalae, Colica Spasmodica, concreta in variis intestinorum partibus, Herniae, quaedam pars intestini in partem alteram recepta, bilis vitiosa, et similia, pro causis hoc malum excitantibus habenda sunt. His adjiciendum est Syphilidem, Rheumatismum et Podagram quibus malis, ut quidam censent, Enteritis per metastasin inducitur.

DE INDICIORUM RATIONE.

Ad rationem praecipuorum hujus mali indiciorum reddendam, opus est ut paulisper consideremus, quae sit inflammationis ipsius natura. Medicorum opiniones de eo in quo contineatur inflammatio plurimum inter se discrepant. Ex multis vero opinionibus de hac re prolatis, duae longe prae ceteris apud hodiernos florent et sustinentur. Ab alterâ parte contendunt, actionem vasorum affectae partis auctam esse: ab altera actionem in his vasis aut infirmatam esse aut saltem minorem, comparatam cum vi a tergo sanguinem propellente, quam sano corpore reperiatur.* In hanc disceptationem, hac occasione descendere non licet; harum opinionum tamen priori potius accedo, quae, ut mihi videtur, firmis nititur argumentis.†

---

* Wilson Philip, de Feb. Symp. ad p. 9

† Idem loco citato.

In Enteritide, ex signis, quae omni inflammationi communes sunt, duo tantum, perstante vitâ, percipi possunt, dolor nempe et calor; secto vero corpore post mortem, alia duo signa, rubor scilicet, et tumor satis manifesta sunt. Rubor partis inflammatae secundum opinionem quam tuemur, a vasculis infirmatis ideoque sanguine plus justo repletis oritur; tumor, qui in hoc exemplo, ut in serosae membranae inflammatione, modicus est, eidem causae attribuitur; dolor urget, quia, ut videtur, nervi partis vasculis turgidis comprimuntur, nec minus forte, quod ob auctam sanguinis copiam, in eas transmissam, magis irritabiles facti sint: dolor, abdomine presso, intenditur propterea quod nervorum compressio inde magis augetur, et per intervalla ingravescit, quod, ut credunt, ea quae in intestinis continentur, per partem inflammatam subinde transmittuntur. Auctus calor in parte affecta pendere videtur ab insolitâ sanguinis arteriosi copiâ illac transmissâ, quo in venosum verso, calor solito major evolvitur. Febris in hoc morbo oritur, ob legem corporis generalem quâ quoties aliquod

organum inflammatur, genus nervosum ita afficitur, ut novas cordis et arteriarum actiones excitet ; neque ulterius explicari potest.

Vomitus consensui inter ventriculum et partem inflammatam, attribuendus est, et alvi constrictio ab intestinorum motibus inversis vel alio modo turbatis inducitur. Abdominis tumor fortasse ob eandem causam accedit, quoniam praeter stercus collectum flatus quoque inde accumulatur.

DE DIAGNOSI.

Morbi qui Enteritidis speciem praebeant sunt, Gastritis, Hepatitis, Colica, Peritonitis, et Musculorum abdominis Rheumatismus. Doloris sedes, anxietas ingens, pulsus debilissimi, vires quam maxime imminutae Gastritidem testantur. Si inflammatio partem coli superiorem, Hepatitidis saepe signa fallet—

quoties dolor ad claviculam dextram non urget, neque tussis sicca neque spiritus difficilis vexat, credibile erit non Hepatitidem esse; dein alvi status, aut astrictae maxime aut tenesmo lacessitae, ut in crassioris intestini inflammatione, aliquid ad diagnosin conferet. In colica dolor, pressa parte, potius levatur, neque perpetuus est, sed subinde per accessiones redit, neque febris urget; dein, inclinato corpore antrorsum, dolor levatur. Peritonitis haud raro cum Enteritide simul corpus premit: si vero per se urget, dolor, erecto corpore plurimum augetur, vomitus non adeo importunus est; alvus minus astringitur, et soluta parum levaminis praebet. In Rheumatismo musculorum abdominis, ventriculus non vomitu tentatur neque alvus pertinaciter astricta est.

DE PROGNOSI.

In Enteritide sicut in cunctis inflammationibus, periculum pro indiciorum vehementia est; et eo major est spes sanitatis, quo facilius signa remediis adhibitis cedunt. Inflammatio vero quarundam intestinorum partium prae caeteris terrere debet. Si intestina tenuiora afficiuntur, magis timendum est, quam si crassiora laborant, et quo propius inflammatio ad ventriculum accedit, eo grandius denuntiatur periculum. Multum quoque pendet a corporis conditione antequam morbus invadit; si jam malis praegressis aliove modo infirmatum est, in multo majore vitae discrimine versatur, praesertim si typho vel alii febri malignae hic morbus supervenerit. Signa quae suppurationem aut gangraenam accedere testantur semper mali ominis sunt; raro enim aut suppuratio aut gangraena prospere cedit. Illa febrem hecticam lentumque exitium affert, haec celeri morte terminatur. Si vero postquam morbus

jam per plures dies perstiterit, nullâ factâ resolutione, horrores accedunt et sensus ponderis in affectâ parte percipitur, et dolor acutus in obtusum versus est, nil dubium est quin pars abscedatur. Abscessus raro extrinsecus rumpitur; si in intestina pus profunditur, diarrhoea purulenta incidit vix medicabilis; si in abdomen viam aperit, ascites purulentus haud minus lethalis miserum absumit. Sed Enteritis multo saepius gangraenâ finitur. Haec timescenda est, quoties indicia hujus inflammationis solito vehementiora sunt, et minus remediis usurpatis cedunt. Si quando accessit, dolor quiescit, pulsus infirmissimi atque frequentissimi fiunt, et aliquando intermittuntur, corpus sudore frigido perfunditur, dejectiones tenues, saniosae, lividae vel nigrae, inscio homine, redduntur, singultus, caligo, animi deliquium accedunt, mors brevi sequitur. Neque tamen credendum est aegrum tutum esse, in quo nulla hujusmodi signa aut suppurationis aut gangraenae sese providerint. Aliquando enim ipsa vehementia inflammationis hominem prius aufert, quam horum alteru-

trum malorum acciderit; tanti enim momenti in corpore intestina sunt, ut ipsa eorum irritatio ab inflammatione vehementi creata vitam extinguere possit. Morbi resolutio quae sola in hoc malo sanitatem promittit, saepe diarrhoeâ modicâ praenuntiatur; a levamine quoque indiciorum, adhibitis remediis, sperare licet morbi exitum felicem fore. Resolutionem testantur dolor vomitusque decedentes, pulsus pleniores, tardiores et molliores, et spiritus naturalis factus: aeger praeterea solito more in lecto jacet, atque solitum vultûs aspectum ostendit. Cavendum tamen est ne doloris cessatio quae gangraenam accedentem comitatur, pro sanitatis rediturae signo sumatur.

DE CADAVERIS SECTIONE.

Incisis corporibus eorum, qui Enteritide extincti sunt, membrana externa affectae partis intestinorum vascula plurima sanguine florido referta ostendit. Interna membrana quoque saepe admodum vasculosa reperitur, et in eadem maculae ex effuso sanguine apparent. In Erythematica hujus mali specie membrana villosa sola rubrior solito conspicitur, et peritonealis membrana vix a sana conditione deflexisse videtur: post vehementem inflammationem lympha coagulabilis in exteriori peritonealis tunicae parte effusa conspicitur. Ulceratio rarissime oritur in tunica peritoneali, ideoque non spectatur in mortuis, nisi post Enteritidem Erythematicam, aut certe in iis exemplis ubi tunica villosa simul cum serosâ laboraverit. In serosa membrana suppurationis notae saepiùs observantur. Intestini pars nigra fit aut ex sanguine effuso aut ex gangraenâ. Si ni-

grities a gangraenâ oritur, pars naturalem suam tenacitatem amisit et facillime lacerari* potest.

Aliquando pars vitiata praeter solitum distenta reperitur. Ex hoc aliisque argumentis Doctor ABERCROMBIE censet Enteritidem veram sive eam morbi formam, de quâ hoc tentamine dictum est, in inflammatione tunicam peritonaealem et musculosam simul occupante consistere. Illi persuadetur, hanc distentionem fieri ab infirmitate sive paralysi fibrarum musculosarum, propter quam minus valent ad justam contractionem, ideoque ad id, quod contineant, propellendum. Illo auctore, inflammatio nunc in peritonaeali tunicâ incipit, et ad musculosam propagatur; nunc in musculosâ, et ad peritonaealem tendit et aliquando in alterutrâ per se existit. Ab inflammatâ tunicâ mucosâ gangraena affertur; ab inflammatâ serosâ exudatio gelatinosa, et effusio serosa inducitur.†

---

* BAILLIE Morbid Anat. ad p. 170.

† ABERCROMBIE Path. of Intestinal Canal,—Edin. Med. Jour. in Tom. 16.

DE CURATIONE.

Hic morbus nullam patitur moram, illico ad idonea remedia confugiendum est. Quorum praecipua ea sunt, quae ad inflammationem superandam proficiunt. Missio sanguinis igitur, utpote omnium praestantissimum remediorum, quam primum peragenda est.—Emittendus est sanguis e plagâ amplâ, quo citius et validius totum corpus afficiatur. Neque pulsus parvi debilesque id prohibent; in Enteritide enim, sicut in Gastritide, pulsus saepe pleniores fiunt, post detractum sanguinem. Tantum emittere oportet quantum sufficiat ad signorum vehementiam tollendam; quod pulsus tardiores et molliores, si ante duri fuerint, et pleniores, si debiles exiguique, et dolor sublevatus satis testantur.

Sedulo vigilandum est et ad cunctas mutationes attendendum quae in laborante corpore fiant; et, simul atque inflammatio rursus

inciderit, statim iteranda est venaesectio. Praestat enim primae venaesectionis effectum in corpore sustinere * detractionibus sanguinis exiguis, interposito quatuor vel quinque horarum spatio, iteratis, quam agri vires exhaurire magnam copiam aliquoties emittendo post longiora intervalla. Ad effectum venaesectionis adjuvandum, hirudines abdomini admoveri debent; quae procul dubio magnopere proficiunt; sed vix utile videtur tot imponere abdomini, quot quidam praecipere consuescunt. Si enim quinquaginta vel sexaginta hirudines abdomini applicantur, tantum sanguinis exsugent, quantum venaesectione plenâ detrahitur: et corpus exinde aeque infirmatur, atque aeger praeterea omnia incommoda patitur, quae curatio per hirudines semper secum affert. Quidam† quoque per cucurbitulas sanguinem eliciendum jubent; sed vereor ne haec curatio

---

* Abercrombie, Path. of Intest. Canal,—Edin. Med. Jour. in Tom. 16.

† Pemberton, Practical Treat. on Various Diseases of Abdominal Viscera.

nimium doloris et molestiae aegrotanti facessat.

Post sanguinis detractionem purgantia remedia salutaria sunt. Mitiora medicamenta hujus generis melius conveniunt sicut Sulph. Sodae vel Sulph. Magnesiae ex multa aquâ aut Fontanâ aut Menthae Peperitae. Si vomitus importunus hujusmodi medicamenta prohibet Hydrargyri Submurias saepe ventriculo retinetur, et leniora enemata, sicut Sodae Murias ex Avenae Decocto solutus, plurimum proficiunt. Quoniam alvi constrictio pertinax ab inflammatione pendet, alienum est tentare alvum solvere, priusquam morbi vehementia per sanguinis detractionem imminuta fuerit; venaesectio praeterea prius peracta efficit ut purgantia leniora obstipationem pertinacem facile superent.* Per totum hujus morbi decursum purgantia subinde sumenda sunt, prout opus fuerit ad alvum facilem te-

* Paris Pharmacol. Tom. I. ad p. 268.

nendam. De utilitate Tabaci Enematis in hoc morbo medicorum opiniones discrepant. Qui idem laudant, ii jubent adhibendum esse, si morbus post sex septemve dies non solitis remediis cesserit. Aut fumus hujus medicamenti per alvum introducendus, aut infusum, quod ex Tabaci foliorum ℈ i. et aquae ℥ x. constat, infundendum est. Quidam huic adjiciunt aliquod medicamentum purgans sicut Colocynthidis Extractum.* Haec procul dubio periculosa curatio est neque unquam temere tentanda, praesertim si aegri corpus jam multum infirmatum fuit. Sin omnia alia remedia jam tentata fuerint neque profuerint, licebit fortasse ad hoc confugere : ii saltem non id negabunt, qui ad Celsi opinionem accedunt "Satius est anceps auxilium quam nullum."†

Remedia quae topice admoventur sunt Fomenta calida—Rubefacientia et Epispastica—Pannus laneus ex aquâ calida expressus et

---

* Pemberton ut antea ad p. 182.

† Celsus, lib. ii. cap. x.

abdomini impositus optimus est fotus. Pelles animalium recèns caesorum, et animalia viva abdomini admota, quae saepe laudata sunt, nullo modo huic caeterisque solitis fomentis praestare videntur et praeterea immunda sunt, et pondere nocent. Balneum tum dolorem levat, tum alvum movet. Pannus laneus ex alcohole expressus, et pipere aspersus aliquid levaminis plerumque affert. Sinapismi quoque prosunt sed dolorem ingentem creant. Satius igitur est Emplastra vesicatoria imponere, quippe quae dolorem mitigent et purgantium effectum promoveant.

Diaetae tenui ex frugibus confectae aeger continendus est. Et post morbi decessum summa adhibenda est cura ne alieno diaetae genere vel alia causa morbus fiat recidivus.

Haec sunt remedia ex quibus opportune adhibitis expectandum est hunc periculosum morbum in plerisque exemplis fugari posse et sanitatem aegris reddi. Haec perito medico rebus prout se habeant accommodata, quam

maxime efficacia sunt. Quod vero prae omnibus, Enteritide urgente, postulatur ad felicem exitum diligentia est animique intentio ut morbo citissime occurratur. In cunctis quidem morbis inflammationem habentibus morari periculosum est, sed horum etiam plerique brevem moram melius patiuntur quam is de quo sermo est. In nullo alio igitur morbo magis opus est ut medicus illud eximium poëtae praeceptum mente teneat.

Obsta principiis, sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluêre moras.

OVID.

FINIS.